nem adfertur. Hoc nonne turpe est? *Auctor Sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta Tomo 2. Sermonum particularium.*

Quomodo hoc tempore instauratur passio, & mors Filii Dei.

Cur mihi non licet vos in spiritu Jerosolymam transferre, vobisque ob oculos ponere tristem earum rerum consummationem, quæ de hominis filio narrantur! Videtisne, dicerem, matronas illas, quæ mane quidem ad sacram accessere mensam, vespere ad choreas atque theatra profecturæ? Hæ illæ sunt, quæ osculo filium hominis tradunt, quemadmodum hebdomadæ hujus habet evangelium: Luc. 18. *Tradetur.* Videtis homines illos æquo solutiores, qui personati in conviviis inter procula, atque delicias natant? Hi sunt illi, qui faciem ejus velamine tegunt, alapas illi impingunt, atque eidem illudunt: *Illudetur.* Isti qui aleis intenti videntur, illi sunt, qui vestem Domini sibi partiuntur, ac super illam sortes conjiciunt. Alii qui sermonibus suis aliis obtrectant, atque obscœna habent colloquia, barbari sunt, qui illum flagellis cædunt, eique in faciem expuunt. *Flagellabitur, & conspuetur.* Confusæ illæ hominum turbæ, quæ cum clamoribus, & ululatibus Salvatorem sequuntur, quocumque ducitur; illi sunt, qui postquam indignissimis eum affecere suppliciis, quæ nequitia ipsorum illis suggessit, cruci illum configunt, eique inferunt mortem. Filiæ Jerusalem, aspectus viri hujus dolorum, & ignominiæ ex oculis vestris lacrymas nequaquam potest elicere? Attamen si vos illius mala movent, verbis ejusdem: Luc. 23. vos moneo, ne super illum flere velitis. sed super vosmetipsas ploretis; inhibeatis, si vobis licet, publica mala; intrinsecis fletibus prosequamini tot peccata, quæ hisce diebus patrantur, nisi eadem reprimere in vestra positum sit potestate; præsertim vero vitam vestram reformetis absolute, ac in æternum secedentes ab iis voluptatibus, quæ vetitæ sunt, atque per temperantiam vos iis etiam fraudantes, quæ licent. *Ex moralibus Sermonibus, Sermone pro Dominica Quinquagesimæ.*

Ecclesia hoc tempore proponit memoriam Passionis Domini, ut fidelium licentiam coerceat.

Nonne diceres hodierna die publicam esse contra Dei Filium conjurationem factam, ac tres hosce Bacchanalium dies persecutionibus illius finem, & cumulum ponere? *Consummabuntur omnia quæ dicta sunt per Prophetas de filio Hominis.* Luc. 18. At quænam dicta sunt? *Tradetur, illudetur, conspuetur, & flagellabitur.* Dictum est, illim doloribus, & contumeliis affectum iri, probris, & irrisionibus tamquam theatricum Regem exceptum iri, oculos ejus velamine clausum iri flagellis iri laniatum, pedibusque obtritum. At nonne, hæc hisce diebus fiunt? Nonne in choreis, & saltationibus illuditur? Oculi ejus nonne larvis, turpibusque personis obnubuntur? Nonne in lusoriis cœtibus sors super vestem ejus conjicitur? Nonne tot obtrectationibus, & blasphemiis dilaniatur? Nonne verbis, cantionibusque inhonestis eidem in faciem expuitur? Denique nonne tot sceleribus, atque criminibus iterum crucifigitur? Ne sitis, Auditores amantissimi, ex horum impiorum numero; relinquire perversum hunc, reprobatumque mundum, & si vel modicum Salvatoris gloria vos movet, aliqua in re pietate vestra, ac assiduitate, qua sacris interestis officiis, gravissimas, quibus afficitur, contumelias reparate. Donec furens populus clamat, Crucifigatur, eumque blasphemiis proscindit, ad Crucis hujus pedes adeste; velluti piæ illæ mulieres, quæ lacrymis manabant, & fideles ille discipulus, qui a cruce numquam recedere voluit. *Joly, Tomo 2. Propositionum pro Quinquagesima Dominica.*

Non poterat profecto Ecclesia evangelium aptius eligere ad Christianorum cohibendam hoc tempore effusiorum in omni in temperantiæ genere libidinum licentiam, quam quod illis in mentem revocat Dominicæ Passionis historiam. Ecclesiæ mentem teneamus, fideles, & ita efficiamus, ut consideratio dolorum, & ignominiarum, quas pro nobis passus est Deus, non ab inanibus voluptatibus, & vanis horum insanæ lætitiæ dierum solatiis avertat, & exemplum, cæci, cui oculorum acies reddita fuit, nobis hoc tempore ad Evangelio Matth. 16. propositum, a cæcitate nostra curare nos possit: Dei Filius pluries jam de morte sua locutus fuerat cum Apostolis, modo illis dicens, se Jerosolymam ascendere, ubi plurima passurus erat; modo illis profitens, futurum ut filius hominis traderetur in manus hominum ab illis morte afficiendus. Hodie vero fusius omnes persequitur circumstantias, quæ mortem hanc erant concomitaturæ . . . . Et hanc enumerationem hodie nobis proponit Ecclesia, velut objectum maxime efficax ad affectum nostrorum imperum infringendum, nosque a peccato, quod vera extitit mortis, & passionis ejus causa, deterrendos. Neque minus requirebatur antidotum, ut fideles deterrentur, ne abirent post tot cœcorum peccatorum exempla, qui hisce tenebrarum diebus in omnia scelera ruunt. *Abbas de Monmorel in Evangelium Quinquagesimæ.*

Obligatio fugendi solatia Bacchanalium.

Si hinc quidem certum est, voluptates, vel quæ sunt proximæ lapsus, scandalique occasiones, vel quibus immodice sese aliquis ingurgitat, totidem esse peccata mortalia: si inde pariter certum est, omnes fere voluptates, quibus per hosce dies indulgemus, aliquem pravum habere characterem; vel omnes simul, necessario illæ nobis velis, remisque fugiendæ sunt; quam rem paucissimi animadvertunt. *Ex Moralibus Sermonibus Sermone pro Quinquagesimæ.*

Fideles hisce diebus filii Dei passionem, & mortem instaurant.

Nonne diceres, hisce diebus, qui, ut ita dicam, dæmoni dicati videntur, fideles imitari velle Judæis, & id quærere, quomodo Dominicæ Passionis historiam instaurent? Et sane, illum produnt, ac Gentibus tradunt: *Tradetur*, uti est in hebdomadæ hujus Evangelio: etenim nonne illum prodere, ac tradere est, palam concedere in partes mundi, qui apertus est hostis illius; flagitiis omnibus, atque criminibus sese mancipate; in Christianismo ea committere scelera, ex quibus Ethnici ansam arripiunt contemnendi religionem Jesu Christi? Hic igitur christianis ea applicari possunt verba, quæ olim Dominus per Prophetam Jerem. 2. dicebat Judæis: *Transite ad insulas Cethim, & videte si factum est hujusmodi, si mutavit gens Deos suos*: Hoc tamen est, de quo vobiscum conqueri debeo. *Ibidem.*

Nonne dicere possumus, Jesum Christum hisce effrænatæ licentiæ diebus, ubi ignominiæ verti videtur virtutis exercitium, & fas esse putatur in omnem libidinem laxare fræna, ab omnibus fere venumdari? Hi sunt illi dies sceleris, atque libidinis, qui merito magnum dæmonis commercium vocari possunt, ubi crudelem exercet animarum mercaturam, quas vili emit pretio, licet tot Jesu Christi sanguine fuerint redemptæ. Etenim quo pretio Deus, & anima hoc tempore vaneunt? Pro libidinis æstu, immodico cibo, voluptatibus, quibus plures commixtæ sunt amaritudines. Quod Regius Propheta: Psal. 105. olim dicebat Deum, & Paradisum ab hominibus pro nihil tradi: *Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem*; hoc potiori jure hodie dicere possumus: Nihilum, inane Jesu Christo præfertur: dummodo fluxa, & vix uno duratura momento percipiatur voluptas, Deus, & anima nullo in discrimine habentur. *Essais des Sermons, pro Quinquagesima Dominica.*

M A-

MATRIMONIUM.

Matrimonii sanctitas, Officia & obligationes huic statui inhærentes &c.

MONITUM.

Quamvis Matrimonium res sancta sit, & ad Sacramenti dignitatem per eumdem Dei Filium erecta; nullum tamen argumentum est, in quo cautius Concionatori, quam cum de Matrimonio loquitur, agendum sit. Hinc enim lingua nostra puritas non patitur locutiones eas, quæ vel minimum quidem audientium mentes polluere, castasque aures offendere valeant, quod perdifficile est evitare; inde vero tanta sæculi corruptio est, tantaque humani cordis in nequitiam propensio, ut improbe oblectetur, modo quidem ridendi, atque in cachinos erumpendi occasionem nanciscens; modo cogitandi ea, a quibus concionator audientium cogitationem conatur avertere; modo tandem censoria nota corripiendi eum, qui sermonem instituit de periculis, ac vitiis status illius, cujus omnino rudis est, & quem etiam ignorare deberet.

Multa igitur præcautione utendum est, seu in iis, quæ dicuntur, seu in ea dicendi ratione. Verum melius puto, evangelico Praeoni, cujus est omnium statuum abusus, & vitia corrigere; hac de causa, ubi sese obtulerit occasio, prætermittendum esse, quo minus corripiat, atque vituperet ea, quæ in magis communi, magisque necessario vitæ statu patrantur; & eos, qui illum susceperunt, de ejusdem officiis, & obligationibus erudiat, modum illis tradat, quo in familia regunda sese gerere debent, & eos, qui temere, & sine vocatione statum illum ingressi sunt, de periculis, ac malis, quibus sese obiiciunt, admoneat.

Ut igitur hoc peractetur argumentum ad Auditorum utilitatem, quo fieri potest maximam, Theologi, Casuistæ, & Confessariis hanc relinquemus provinciam ad singularia descendendi, quod suggestus dignitas Concionatoribus non permittit, & ea tantum colligemus, quæ honeste, ac utiliter in populo dici possunt. Quod si quæ alia sunt argumenta, quæ cum hoc nexum aliquem habere possint, qualia sunt vocatio ad statum aliquem generatim, impudicitia, mundi negotia, & impedimenta, atque ex his aliquid inferi velit hujusmodi argumento, singula suis locis videnda sunt, & alphabeticus ordo, vel generalis tabula, qua omnia indicabuntur, consulenda.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus Argumenti Partitiones.

I.

Optima urbes, ac regna bene regendi, omnesque abusus, & mala, quæ in societatibus omnibus committuntur, ratio est proculdubio sanctificatio eorum, qui in conjugio vivunt: cum enim urbes, & regna ex familiis coalescant; si familiæ singulæ optime fuerint institutæ, tota etiam respublica certissime dirigetur. Hinc Ethica docet, familiam exiguum esse regnum, magnum vero magnam familiam. Ad hunc igitur statum sanctificandum, ac efficiendum conjugium felix, & inde ubertrimum benedictionum fontem eliciendum, hoc in sermone ad examen revocare in animo est. 1. Quid faciendum antequam hujusmodi status suscipiatur, 2. Quomodo vivendum, & quid agendum, ubi semel fuerit susceptus.

Aristot. l. 1. Politic. c. 2.

Pars prima. Quod faciendum est, antequam statum ingrediaris, ubi proculdubio magna sunt pericula, magna ad salutem impedimenta, tribus in rebus consistit. 1. Ut Deus consulatur, cognoscendum est ex signis moraliter certis, utrum ad hoc vitæ genus vocatus sit; licet enim dubio locus esse nequeat, quo minus conjugii auctor sit Deus, quandoquidem hic illud inter primum virum, primamque mulierem instituit; & hoc in statu ad altissimum perfectionis gradum pervenire possit, quod olim Abraham, Isaac, Jacob, aliique quamplures Dei servi præstiterunt; conliat liquido tamen, non omnes ad conjugium vocari, unde sit, ut qui in religione seipsum salvaret, eo in statu salutem suam minime operetur. Quamobrem antequam uxorem ducas, Deum consule, utrum id ipse velit, secundum eas regulas, quas alibi tradidimus, cum generatim de vocatione loqueremur. 2. A Deo petendum est, ut personam illam nobis ostendat, cum qua fœdus adeo arctum perstrinendum est, ut fideliter ipsi inservientes salutem nostram operemur; quia quemadmodum Spiritus Sanctus testatur: *Prov.* 19. per os mortalium omnium sapientissimi, uxor prudens, ac virtutibus ornata donum Dei est, & qui talem nactus est, ingens invenit bonum, & gaudium accipiet a Domino. Quod dicitur de mulieribus, de viris quoque ob eamdem causam dicendum est. Unde liquet, quantopere interfit eorum, qui conjugalem statum amplexuri sunt, enixius Domino preces effundere, ut sibi eam personam jugali vinculo nectat, cum qua pacatam vitam ducere, salutem suam operari, ac seipsos sanctificare valeant. Verum hoc negotium non ita in Deum unum conjiciendum est, ut minime labores in conjugis electione, ut non revoces ad examen qualitates illius, cum qua, vel quo fœdus jungendum est, præsertim vero ut rationem potius non habeas virtutis, bonorumque morum, quam divitiarum aliarumque rerum, quæ inde tibi credere possunt &c. 3. Statum hunc aggredi opus est propter eos fines, propter quos a Deo fuit institutus, qui a S. Paulo Apostolo recensentur, ut videlicet evitetur incontinentia, eaque vitia, in quæ libido nos trahit; ut filios gignamus, non tamen nomen, familiamque perennemus, bonorumque hæredes relinquamus, quam ut sanctus efficiamus optima institutione, quam eisdem procurare decernimus; & demum ut vivamus in illius contubernio, ac societate, qui, vel quæ nos summa charitate complectens opem adferat, ut facilius vitæ hujus incommoda toleremus &c.

Pars altera. Ratio, qua sese gerere debet, qui statum hunc ingressus est, in eo posita est, ut omnibus perfungatur officiis illi inhærentibus, quæ ad tria generatim redigantur, sub quibus peculiaria continentur. 1. Ad amorem conjugalem, affectum videlicet, quo conjuges ultro citroque sese debent, ut totum vitæ suæ spatium simul transigant, ut mutuo defectus alternos tolerent, ac perfectam invicem habeant confidentiam, quam quidem mulier perfecta submissione, vir autem moderatione sua debet testari; ita ut alterius quidem auctoritas imperiosa non sit, neque alterius submissio redoleat servitutem, sed amore omnia regantur; alioquin enim conjugium fiet jugum intolerabile, & crux perpetua. 2. Ad eam fidem sibi mutuo integerrime servandam, quam ante aras sibi ultro citroque servaturos receperunt; sed citra zelotypiam, citra suspiciones, quæ vulgo levibus causis innituntur & quin alternis ob minimam quamlibet speciem ulla suboriatur diffidentia: hæc enim causa est dissensionum, divortiorum, simultatum, & ut verbo me expediam, malorum omnium, quæ privatis domibus accidunt. 3. Ad familiæ curas, & onera, bona, & mala, prospera, & adversa, quæ accidunt, partienda; sibique vicissim rebus in omnibus opem ferendam.

II.

Ostendi potest, in conjugali statu Christianismi perfectionem obtineri posse, & Sanctitatis lauream acquiri.

1. Fideliter obeundo omnia hujus status munera, & officia. 2. Exercendo virtutes, quæ hunc statum maxime decent, cutram gerendo servorum, filiorum optimam institutionem procurando, ferendo incommoda &c. 3. Deo fideliter in hoc statu serviendo, omniaque Christiani hominis officia adimplendo.

III.

In duabus etiam justæ concionis partibus ostendi potest: 1. Dignitas, & præstantia Sacramenti, quod quidem

dem Apostolus, ad Ephes. 5. magnum appellat; *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & Ecclesia*. 2. Dispositiones afferendæ, ut digne recipiatur.

Pro parte prima, videndum quod reipsa hoc magnum est Sacramentum: 1. Propter auctorem suum, Deum videlicet, qui illum in terrestri Paradiso, atque in statu innocentiæ instituit. 2. Propter id, quod significat, ac repræsentat, videlicet Jesu Christi unionem cum Ecclesia. 3. Propter magnas illius obligationes, quæ magnis cœli egent subsidiis.

Pars altera in eo consistit, ut ostendantur dispositiones, quæ requiruntur ad recipiendas gratias Sacramento huic inhærentes, & ad statum hunc amplectendum citra quodvis salutis æternæ periculum. 1. Status hic amplectendus est cum ingenti salutem suam operandi desiderio, & ad id consulenda est Dei voluntas, nec aliquid aggredientium, inexplorata illius vocatione. 2. Status hic amplectendus non est nisi cum sancta intentione, optimoque fine, qualem habuit Deus in Sacramenti hujus institutione. 3. Est in gratiæ statu amplectendus, ne sacrilegium fiat ex Sacramento, quo sanctificantur illi, qui cum requisitis dispositionibus statum hunc amplectuntur.

IV. Primo ostendi potest Matrimonium sanctum vocari, & sanctum esse 1. in principio suo; illud enim Deus instituit, & Jesus Christus ad Sacramenti dignitatem extulit, quamvis suapte natura civilis contractus fines minime excedat. 2. In fine suo, ac causa, quæ in Deo quidem sancta sunt, & in nobis esse debent supernaturalia. 3. In eo quod significat, & repræsentat, videlicet Jesu Christi unionem cum Ecclesia.

Secundo, ratio seipsum in hoc statu sanctificandi est omnia illius munera, & officia adimplere. 1. Mutuam sibi fidem promissam tuerit. 2. Pacem, atque concordiam mutuo amore, & confidentia servare. 3. Concordi animo & suam, & familiæ salutem operari.

V. Conjugum munera ad tria hæc officiorum genera possunt redigi, quorum explicatio justam concionem potest replere. 1. Ad id, quod debent Deo in hoc statu, videlicet exactam præceptorum ejus observantiam, quin se putent ulla in re dispensari. 2. Ad id quod uterque conjux ultro citroque sibi debent fidem, amorem, mutuum, perfectamque confidentiam. 3. Ad id quod sibi personalitur, familiæque suæ debent, salutis videlicet suæ, servorumque suorum curam.

VI. Tria sunt consideranda in conjugio, quæ solidas morales suppeditare possunt consideationes, & concioni materiam præbere.

1. Sanctitas illius, quæ vetat, ne ob humanas rationes, cupiditatem, aliudve temporale negotium statum hunc amplectamur. 2. Officia, & munera, quæ res exigit, ut rite exploremus, utrum nos ad hoc vitæ genus Deus vocet, & utrum pares simus adimplendis iis omnibus muneribus, quæ ab hoc statu sejungi non possunt. 3. Illius bona, & pericula ad salutem consequendam, quæ quidem rite consideranda sunt, ut aliis quidem utamur, alia vero evitemus.

VII. 1. Necesse est, vocatos esse a Deo, ut matrimonii officiis satisfaciamus. 2. Necesse est, divino spiritu præventos esse, ut matrimonii pœnas feramus. 3. Necesse est peculiari Dei gratia directos esse, ut salutis pericula, quæ in conjugio invenjuntur, evitemus. *Essais de Sermons pro Dominicis, Dominica secunda post Epiphaniam.*

VIII. Ut hæc in re utilis habeatur instructio, duo hæc assumi possunt puncta, quidquid dici potest, continentia.

1. Quomodo status hic sit amplectendus. 2. Quomodo in eo vivendum. In priori puncto ostendi potest Deum consulendum esse, ut hunc potius, quam alium statum eligamus; in altero vero indigitandæ sunt dispositiones, quæ requiruntur, ut conjugium sit felix. *De la Font in Ecclesiasticis Sermonibus pro secunda post Epiphaniam Dominica.*

IX. Hæ duæ propositiones concionis partitionem possunt præbere.

1. In conjugio salutem operari possumus, quia status hic sanctus est, a Deo institutus, ad quem Deus plures vocat, & quem S. Paulus aliquibus suadet. 2. Ex omnibus statibus periculosissimus saluti nostræ conjugium est; quia ex S. Hieronymi sententia, simul conciliari debent ea, quæ simul esse non posse videntur; bonorum temporalium cura cum mentis avulsione a bonis illidem; tenerrimam erga creaturam dilectionem, cum intemerata fidelitate erga Creatorem; & denum, cum intemerata fidelitate erga Creatorem; & denum conjugalem castitatem, quæ rerum omnium difficillima est; quia nihil facilius, quam eos præterire terminos, intra quos conjugalis libertas continetur.

Specimen Sermonum pro secunda post Epiphaniam Dominica. X.

De infelicium conjugiorum, quæ in mundo vulgaria adeo sunt, causis.

1. Quia parentes, quin consulant Deum, ubi de filiis collocandis agitur, humano tantum consilio operantur, quin Dei voluntatem explorent, & quin divinæ Providentiæ ullam habeant rationem. 2. Quia filii, quin in conjugio Jesu Christi, beatæque Virginis, quæ puritatis Mater est, opem invocent, sese tradunt in cæcæ libidinis studia. *Abbas de Monmerel, Sermone in idem Evangelium.*

XI. Conjugum considerari potest, vel tamquam vinculum, quo homines cum hominibus, familiæ cum familiis; cor & voluntas viri cum corde, & voluntate mulieris conjunguntur, vel tamquam remedium contra concupiscentiam, quæ teterrimas in mundo vastationes efficeret, nisi Deus hunc invenisset modum sanctificandi eas voluptates, quæ citra hoc Sacramentum sunt criminosæ; vel tamquam publicum bonum; quia institutum est, ut reipublicæ membra addantur, & alantur filii, qui rempublicam perennent, ejusque negotia sustineant. Unde hæc possunt inferri.

1. Hoc vinculum est, quod conjungere debet familias, & corda eorum, qui statum hunc amplectuntur; igitur quam diligentissime cavendum est, ne fiat origo discordiarum propter malam illius personæ electionem cum qua fœdus hoc ineundum est, propter ætatis, bonorum, & conditionis inæqualitatem &c. 2. Remedium est contra impudicitiam; cavendum igitur, ne inde fiat impuritatis origo, & jugis occasio peccati Sanctitatem hujus Sacramenti polluendo noxiis excessibus, vel effusiori in omne libidinum genus licentia. 3. Denique publicum bonum est; cavendum est, ne fiat calamitas publica, male instituendo liberos, qui reipublicæ gloria essent futuri. *Ex Christianis Sermonibus, Sermone in idem Evangelium.*

Duæ propositiones, quæ facile probari possunt.

XII. Prior; nullum esse statum, ubi Deus diligentius consulendus sit, antequam eligatur; cum hoc negotium ad salutem maximi momenti habeatur.

Altera; nullum esse statum, ubi oporteat magis fidelem esse Deo propter conjugum officia, propter curas, difficultates, & impedimenta, quæ a Dei servitute avertere consueverunt eos, qui hunc statum amplexi sunt. *Ex Auctore Sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta. Sermone de Matrimonio.*

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas Concionum structuras exornandas.

SAnctus Augustinus librum edidit *de bono Conjugii*, alterumque de nuptiis, & concupiscentia, ubi plurima sunt ad hoc argumentum spectantia. Sanctii Patres

Idem *lib. 9. de Genesi ad Litteram* recenset bona, quæ in conjugio inveniuntur, & regulas in eo servandas.

Idem *libro de Virginitate* plura habet hujus argumenti.

Idem *lib. 2. de Symb. ad Catechum.* ostendit quomodo Dei Filius in morte Ecclesiam sibi Sponsam elegit.

S. Ambrosius *l. de Abraham* deterret fideles, ne hæreticas mulieres ducant uxores.

Idem *l. de Virginitate* sæpe loquitur de conjugio, & iis, quæ illud faustum, vel infaustum efficere possunt, & illud cum Virginum statu comparat.

Idem *l. 4. Hexamer. c. 7.* docet, conjugibus vicissim defectus suos, pravumque ingenium esse ferendum.

S. Hieronymus *l. 1. adverf. Jovinianum* hæretici hujus errorem confutat docentis, statum conjugii dignitate, & merito parem esse statui virginitatis.

Idem *Epist. ad Letam* familiæ illius texit elogium, ubi omnia optime erant instituta, ac mulierem hanc laudat, quæ pietate sua virum converterat, & filios suos egregios Christifideles effecerat.

S. Chrysostomus *Homil. 21. in Epist. ad Ephes.* ostendit magnitudinem hujus status propter necessitatem relinquendi parentes, & adhærendi conjugi.

Idem *Homil. 4. in 2. ad Timoth.* de unione, & concordia inter conjuges loquitur.

Idem *Homil. 57. ad Popul. Antioch.* docet matrimonii eurs non esse sanctitatis obstaculum veterum Prophetarum, & Patriarcharum exemplo.

Idem *Homil. 21. in Epist. ad Ephes.* proponit exemplum Annæ Prophetissæ, ut doceat conjuges offerre debere Deo filios nondum conceptos.

Idem

Idem *Homil. 38. in Gen.* ostendit indulgentiam, quam viri habere debent erga uxores suas, exemplo Abrahæ erga Saram, & loquitur de pace, & concordia inter illos mutuo fovenda.

Idem *Homil. 48. in Genes.* loquitur de electione uxorum a viris habenda, & tradit, quænam potissimum sint inspicienda.

Idem *Homil. 57. in Genes.* refert causas dissensionum, quæ in familiis virum inter, & uxorem contingunt.

Idem *Homil. 26. in Epist. ad Cor.* egregia uxoribus tradit præcepta, quomodo sese cum viris gerere debeant ad pacem, atque concordiam fovendam.

Idem in eadem Homilia viris quoque præcepta tradit, quomodo cum uxoribus se gerere debeant.

Idem in adhortatione *in cap. 18. Matthei* docet juvenes maturato in matrimonium conjungendos esse ad juventutis mala prævertenda.

Idem sermone 9. in hæc verba, *Mulier alligata est* &c. recenset conjugii mala, cum aliquis temere, ex cupiditate, aliisque humanis rationibus hunc statum aggreditur.

Idem *Serm. 18. de diversis* docet Dei opem petendam antequam statum hunc amplectaris, & tradit mala, quæ ope hac deficiente contingunt.

Idem *Hom. 20. sup. Epist. ad Ephes.* docet, quænam suavitas viro erga uxorem adhibenda sit, & quomodo cum illa sese gerere debeat.

S. Basilius Seleucensis *l. de vera Virgin.* refert mala, quæ cum malo viro uxor patitur.

Tertullianus qui alteras nuptias damnavit, *l. 2. ad uxorem c. 9.* de Christiano conjugio verba faciens eas recenset qualitates, quæ in iis requiruntur, qui conjugium inituri sunt, & pietatis exercitia, quibus vacare debent.

S. Cyprianus *l. de Singularit. Cleric.* loquens de voluntaria conjugum ad tempus secessione, ut orationi vacent, hujusmodi separatione tamquam miraculum putat.

Ascetici aliqui. Hugo de S. Victore *l. ad Socium volentem uxorem ducere.*

Concilii Tridentini Catechismus.

S. Franciscus Salesius parte 3. introductionis ad vitam devotam c. 38. conjugibus egregia tradit præcepta.

Pater Cordier *Tom. 1. Familia sancta cap. 1. & seq.* pertractat quidquid ad hoc pertinet argumentum.

Idem *Tomo tertio cap. 19.* ubi de affinitatibus loquitur, prolixum habet de Conjugio tractatum, ubi nihil prætermisisse videtur.

Idem Libro, cui titulus, *Christiana regula ad conjugium sancte ineundum, sancteque in eo vivendum*, nihil optandum relinquit, quod ad hoc pertineat argumentum.

Liber, qui inscribitur, *Regimen familiarum.*

Liber alius, cui titulus *de zelotypia, vel rationibus servandæ pacis in conjugio.*

Liber inscriptus: *Christiana Jona veteris Aurelianensis Episcopi Disciplina*, libro secundo, ubi fusius de conjugio verba facit.

Marchantius *in Candelabro mystico* fusius hoc argumentum pertractat.

Canisius part. 2. de Matrimonio.

Raynerius de Pisis in *Pantheologia.*

Theologi omnes, Casuistæ, & Catechistæ, qui de Sacramentis egerunt.

Salazar, & Cornelius a Lapide in caput 21. Proverbiorum.

Cambolas parte 2. cap. 5. §. 2.

Dialogi Spirituales P. Surin c. 12. tomi secundi.

Moralis in *Pater* lib. 1. sect. 3. art. 1. fusius hoc tractat argumentum.

Petrarcha Dialogo 47.

Instructio juventutis part. 5. capit. 12. a Gobinet edita.

Concionatores recentes. Joly propositione pro 2. post Epiph. Dominicam.

Sarasin Tomo 2. Adventus, Sermone 20. leges explicat a Jesu Christo pro conjugibus latas.

P. Mathias Faber in septima exhortatione hujus argumenti.

Idem in Dominica 2. post Epiphaniam conc. 1. 2. 3. 4. & 8.

P. de la Colombiere in Christianis considerationibus.

Auctor sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta, sermone pro secunda post Epiph. Dominica.

Auctor sermonum Christianorum Dominica eadem.

Abbas de Monmorel in ejusdem Dominicæ Evangelium.

Auctor Sermonum moralium unum habet hujus argumenti.

In specimine Sermonum pro Dominicis, primum pro secunda post Epiph. Domin. argumentum est de Matrimonio.

Auctor actionum Christianarum in secunda parte Panegyrici S. Annæ.

Omnes qui S. Josephi Panegyricum elucubrati sunt, per occasione conjugii sanctissimi hujus viri cum Beata Virgine de matrimonio quoque locuti sunt.

Granatensis in locis communibus. Qui collectanea ediderunt

Bufæus in libro de statibus, *De statu Matrimonii.*

Peraldus Tom. 1. titulo *Temperantia* c. 14. & seq.

Lohner, verb. *Matrimonium.*

Engelgrave in alteram post Epiphaniam Dominicam.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic Argumento.

NOn est bonum esse hominem solum, faciamus ei adjutorium simile sibi. Genes. 2.

Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Gen. 3.

Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum. Proverb. 18.

Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum. Ibid.

Melius est habitare in terra deserta, quam cum muliere rixosa & iracunda. Proverb. 21.

Gratia super gratiam, mulier sancta & pudorata. Eccli. 26.

Mulier diligens, corona est viro suo. Prov. 12.

Noli discedere a muliere sensata & bona, quam fortitudo es in timore Domini. Eccl. 7.

Beatus qui habitat cum muliere sensata. Eccli. 25.

Datum Dei est, mulier sensata & tacita. Eccli. 26.

Domus, & divitiæ dantur a parentibus; a Domino autem proprie uxor prudens. Prov. 19.

Mulieris bona beatus vir. Eccli. 26.

Pars bona, mulier bona, in parte timentium Deum dabitur viro pro factis bonis. Ibid.

In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo, & hominibus: concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier bene sibi consentientes. Eccl. 2.

Accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quam libidine ductus. Tob. 6.

Qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se, & a sua mente excludant, & sua libidini vacent, habet potestatem dæmonium super eos. Ibid.

Commorari leoni & draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam. Eccl. 25.

Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Matth. 19.

Omnis, qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimissam a viro ducit, mœchatur. Luc. 16.

Vocatus est Jesus, & discipuli ejus ad nuptias. Joan. 2.

Quod Deus conjunxit, homo non separet. Matth. 19.

Quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. Ad Roman. c. 7.

Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit: & qui non jungit, melius facit. Ad Corinth. cap. 7.

Alligatus es uxori? noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem. Ibid.

Si acceperis uxorem, non peccasti, & si nupserit virgo non peccavit; tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi. Ibid.

Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est. Ibid.

Mulier innupta, & virgo, cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore, & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Ibidem.

Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat. Ibid.

Iis, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Ibidem.

Et vir uxorem non admittat. Ibidem.

Caput autem mulieris vir. Ibid. c. 11.

Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. Ibid.

Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem. 1. ad Corinth. c. 7.

Viri diligite uxores vestras, & nolite amari esse ad illas. Ad Coloss. 3.

Unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat. Ad Ephes. 5.

Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit: nemo enim umquam carnem suam odio habuit; sed nutrit, & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam. Ibid.

Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino: quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ. Ibid.

Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam. Ibid.

Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Ibid.

Uxor timeat virum suum. Ibid.

Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Ad Heb. 13.

Mulier salvabitur per filiorum generationem. 1. ad Timoth. 2.

Mulieres subditi sint viris suis, ut si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant. 1. Petri c. 3.

Exempla ex veteri, novoque Testamento desumpta.

Adam, & Evæ in terrestri Paradiso conjugium.

IPsa terrarum orbis primordia altius repetenda sunt, atque in primo conjugio, quod inter protoparentes nostros ipse Deus instituit, perfecti matrimonii exemplar est inquirendum. Creator cum primum hominem ad similitudinem suam effinxisset, eumque omnibus animi, corporibusque dotibus tamquam opus manuum suarum decorasset, illum in terrestri Paradiso constituit, ubi nihil deerat, ut vitam delitiis plenam transigeret. Verum perinde ac felicitati suæ aliquid defuisset, si solus in eo delitiarum loco permansisset, e re censuit, ut Scriptura inquit, illi sociam addere similem ipsi, tum ut eidem opitularetur, & inserviret, tum ut Dei consilium perficeretur; videlicet ut humanum genus multiplicaretur, non per creationem, ut in Angelis, sed per successionem, & propagationem hominum, qui ex primis duobus illis erant nascituri. Hoc ille consilio eos simul arcto conjugii vinculo, cujus ipse primus auctor, & veluti pronubus esse voluit, ut Patres inquiunt, consociari. Ut autem primum hoc matrimonium conjungeret, quod in institutione sua, & modo, quo peractum fuit, prorsus mysticum esset, hanc viam est secutus: neque enim Evam, ut Adam, ex terræ limo eduxit, sed ex primi hominis costa illam effinxit, ut naturali quodam studio illi adhæreret, & cum eo unum quodammodo, idemque corpus efficeret. Cæterum animadvertunt Patres, mulierem nequaquam eductam fuisse ex hominis capite, ne hinc occasionem superioris alicujus dignitatis sibi vindicandæ occasionem arriperet; sed neque ex pedibus viri illam fuisse efformatam, ne hic vir occasionem illius despiciendæ, mancipiique loco habendæ nancisceretur; sed effictam fuisse ex ea parte, quæ propior adjacet cordi, ut homo intelligeret, eam sibi sociam habendam, ipsique non tantum unum corpus, unamque carnem cum ea, sed cor unum, unumque spiritum efficiendum.

Conjugium hoc in ipsa quoque institutione mysterio non caruit; etenim quemadmodum Tertulliano teste, Deus primi hominis corpus effingens, Jesu Christi corpus ex Virgine de illius progenie nasciturum sibi proposuerat; similiter hoc instituens matrimonium illud cogitabat, quod æterno Verbo aliquando cum humana natura obeundum erat; & illud quod hoc ipsum Incarnatum Verbum instituturum erat cum Ecclesia ex latere suo proditura, per fidelium matrimonium, quod ipse ad Sacramenti dignitatem elaturus erat, repræsentandum.

Conjugium Isaac cum Rebecca.

Isaaci, & Rebeccæ conjugium a Spiritu sancto adeo fuse in scripturis non alia de causa narratur, nisi ut sæculis omnibus exemplar esset omnium connubiorum, & probatio ejus, quod deinde a Salomone dictum fuit, Deum videlicet esse, qui viro sapientem conjugem jungit. Prudentia Abrahæ, fidelitas, & pietas internuntii; qui illud pertractavit; adeo impensus amor Isaaci, adeo profunda Rebeccæ reverentia, parentum virgunculæ moderatio, qui nihil nisi expetito illius consensu operati sunt, adolescentulæ modestia, quæ omni affectu vacua parentum electioni subscripsit; cura denique, quam omnes testati sunt consulendi voluntatem Dei, non opes, vel formam, totidem regulæ sunt in omnibus conjugiis servandæ, & a quibus nemo recedere potest, quo minus se periculo objiciat connubia, quæ tam infausta futura sint, quam hoc Isaaci, & Rebeccæ felix, faustumque fuit, contrahendi.

Junioris Tobiæ cum Sara conjugium.

Ut plurima prætermittamus conjugia sancta, quæ legis tempore habita sunt, solus Tobiæ liber palam ostendit quam longe a prophanorum nuptiis sanctorum connubia differant: *Filii Sanctorum sumus*, inquit Tobias junior, *Et non possumus ita conjungi, sicut gentes, quæ inhonorant Deum*; sibique matrimonii finem proponens, ita alloquitur Deum: *Et nunc, Domine, tu scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meam conjugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum*. Et capite præcedenti Angelus testatur hominem, qui timet Deum, dignum esse uxore bona. Ita Raguel, Saræ Pater, quæ juniori Tobiæ nupsit, non ignorabat, unde fructus, & benedictio conjugii procederet, cum arreptam filiæ suæ dexteram dexteræ Tobiæ junxit dicens: *Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob vobiscum sit, & ipse conjungat vos, impleatque benedictionem suam in vobis*.

Punitio, quam exercet Deus in eos, qui matrimonii sanctitate abutuntur.

Plura nobis suppetunt in scripturis pœnarum exempla, quas exercuit Deus in illos, qui adeo sanctum statum dedecorarunt, & qui impuro fine illud aggredi voluerunt. Septem viri Saræ, quos dæmon jugulavit, & quod Angelus Raphael hac de re dixit, hoc satis probant, & ostendunt, Deum non pati, quod impuritas matrimonio viam sternat. David eo quod Uriæ Bethsabæam abstulerat, nonne prope fuit, ut in Absalonis defectione regnum amitteret? Calamitates, quæ repente locupletes, potentesque domos sæpius evertunt, ut plurimum sunt hujus peccati supplicia, quod in illas Domini detrahit maledictionem. Videmus profecto in Genesi, cum filii Seth uxores duxissent ex filiabus Cain tantummodo propter speciem earum, Deum tunc professum fuisse, futurum ut spiritus suus non permaneret in homine, quia erat caro. Itaque licet alia non defuerint crimina, quæ Deum ad iracundiam provocaverint, scriptura non alium memorat quam abusum conjugii, ut ostendat abominationem, quæ tunc in terris vigebat, & hominum corruptionem, quæ coegit Deum, ut universali diluvio terras omnes expiaret.

Cur Deus prohibuerit populo suo alienigenas uxores ducere.

In veteri lege Deus explicite interdicto vetuerat, ne quis e populo suo uxorem duceret ex alienigenis mulieribus; certe enim videbat, futurum ut hæ illorum cor primum quidem, mox etiam mentem corrumperent, ac illos idolis, Diis videlicet Gentium, sacra facere cogerent. Hoc satis probavit eventus in Salomoniis persona; qui exemplo est maximæ imbecillitatis, atque nequissimæ conniventiæ, quæ stuporem sæculis omnibus peperit, eo quod Princeps hominum omnium sapientissimus eousque insaniæ, ac impietatis processit in senectute sua, ut templa ædificaret Diis pellicum, & concubinarum suarum, atque tot muneribus, & beneficiis a vero Deo auctus, & cumulatus fictis numinibus thus adoleret. Hoc etiam accidit nonnullis e successoribus ejus veluti Achab, de quo Scriptura 3. Reg. c. 21. ait, venundatum fuisse iniquitati, ut committeret malum coram Domino, illud impellente impia Jezabel uxore sua, eousque ut idola quoque veneraretur.

Quid coegit Filium Dei, ut nuptiali interesset convivio.

Plures sunt rationes, quæ Dei Filium coegerunt, ut interesset nuptiis Cana, de quibus loquitur Evangelium; sed sive hoc fecerit, ut indigitaret Deum auctorem esse, primumque conjugii institutorem; sive ut in antecessum quorumdam hæreticorum damnaret errorem, qui illud erant improbaturi tamquam malum; sive ut præsentia sua matrimonium sanctificaret; seu quia cum venisset sanctificaturus homines per Baptismum post nativitatem, voluerit etiam benedicere & sanctificare eorum principium, conjugii videlicet statum, illud ad Sacramenti dignitatem attollens in Ecclesia: seu denique hoc fecerit, ut honor accederet magnis, divinisque mysteriis ineffabilis affinitatis, quam cum Ecclesia, nostraque natura contraxit; certum est, cum status hic ex illis sit, ex quibus coalescere debebat Ecclesia, & qui tot electos cœlo editurus erat, eum voluisse nuptiis assistendo innuere, eos, qui sese illis implicant, non esse benedictionibus & gratiis suis recipiendis impares. Ob rationes easdem primum, quod idem Salvator ediderit, miraculum fuit in gratiam sponsi earum nuptiarum, quibus interfuit; licet enim conjugii status cœlibatui sit inferior, ambigi nequit, quo minus *sit honorabile connubium*; cum per misericordiam suam Deus diversos status institueret, ut, qui ad aureum pervenire non posset, in argento saltem subsisteret. Idem denique Salvator, qui ex Virgine voluit nasci Josepho desponsata, qui pater ipsius putabatur, satis nequaquam putavit bis probare conjugium, uti ex Evangelio Sancti Matthæi didicimus; verum etiam illud indissolubile effecit ad Sacramenti dignitatem attollens; atque abolevit con-

fuetu-

suetudinem, quæ apud Judæos percrebuerat repudiandi conjugem, huic authenticum tradendo repudii libellum, quod propter duritiam cordis eorum Moyses permiserat.

Conjugium Zachariæ, & sanctæ Elisabeth parentum S. Jo: Baptistæ exemplar sancti matrimonii.

Qui conjugali vinculo adstricti sunt pro vitæ sibi in hoc statu ducendæ exemplo, proponere sibi possunt id, quod de magni percursoris Joannis Baptistæ parentibus Evangelium *Luc.* 4. testatur: *Erant justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini sine querela*. Qui statum hunc elegerunt, & ad illum vocati sunt, ita vitam debent instituere, ut justi sint coram Deo; nihil enim est justos esse tantum coram hominibus; debent Dei, & Ecclesiæ præcepta religiosius servare, ac irreprehensibilem vitam ducere. In hoc tota christiani sita est sanctitas matrimonii, cujus praxis erit facillima, si vir, & uxor conjuncti fuerint, quomodo Jesus Christus, & Ecclesia; si vir uxorem amaverit, quomodo Ecclesiam diligit Jesus Christus; si uxor virum coluerit, eique obtemperaverit, quomodo Ecclesia colit Jesum Christum; dummodo, ut verbo me expediam, concordes sint, eorumque corda conjuncta sint vinculo pacis, & charitatis, & Deus ipse sit nodus eorum unionis, atque conjugalis dilectionis. Hac in re exemplo esse potest duorum horum sanctorum connubium. Pii erant, adhærebant legi, omnibusque officiis suis rite perfungebantur: *Incedentes in omnibus mandatis Domini*. Si aliis in familiis non desunt jurgia, lites, divortia, hæc erat *sine querela*. Patienter suos vicissim ferebant defectus, vel ut melius cum Sancto Petro Chrysologo dicam, patientia in illis erat sine exercitatione, quia uterque justi erant, ac Deum metuebant. Itaque, uti Sanctus hic Doctor animadvertit, ex sanctis parentibus Sanctitas, quam illi possidebant, in filium migravit.

Sanctæ Virginis cum Sancto Josepho conjugium.

Ambigi nequit, quominus sanctissimum, pulcherrimum, perfectissimumque conjugium illud fuerit, quo Beatissima Virgo Sancto Josepho nupsit. Alibi dicemus nihil essentiale defuisse ut illud verum esset connubium; hic vero spectari potest, tamquam felicissimum, & auspicatissimum quod unquam fuerit, vel imposterum futurum sit. Naturæ, studiorum, pietatis, cæterarumque virtutum similitudo utrobique perfecta erat. Uterque cœli muneribus cumulatissimi fuere, ut digni fierent locupletissimi pignoris custodes. Mentis quoque, & cordis unio tanta fuit, ut hac nulla major extiterit: mutua, quæ sibi præstiterunt subsidia, maxima fuerunt; & quemadmodum hujus conjugii finis longe spectatissimus fuit, quam in aliis quibuslibet, in dubium revocari non potest, quominus hujusmodi media, quæ ad finem adeo gloriosum contulere, summa cum perfectione fuerint adhibita; & illi, qui Dei jussu conjugalem statum sunt ingressi, eo facilius ad sanctitatis apicem sint accessuri, quo propius ad præstantissimum hunc exemplar accesserint.

Applicationes quorundam Scripturæ locorum huic argumento.

Connubium quicumque ex parte spectetur sanctum est.

HOnorabile *connubium in omnibus*. Ad Hebr. 13. Conjugium quacumque ex parte consideretur, sanctus est, & Sanctus Paulus addit etiam rebus in omnibus esse spectatissimum. Sanctum, & honorabile est propter Auctorem suum; a Deo in terrestri Paradiso institutum; a Deo in lege Moysis consecratum; ab Homine Deo in lege gratiæ ad Sacramenti dignitatem elatum: *Honorabile in omnibus*. Sanctum est, & honorabile propter ejus prototypum; quippe nobis repræsentat conjugium Jesu Christi cum Ecclesia die Passionis illius; conjugium animæ justæ die missionis, & effusionis Spiritus ejus. Sanctum, & honorabile propter materiam; in aliis enim Sacramentis materia est inanimata; in Baptismate aqua; panis, & vinum in Eucharistia &c. Sed in Conjugii Sacramento materia est animata, atque ex animatis entibus illud, quod præ cæteris dignissimum est, & spectatissimum, videlicet hominis corpus, quod Sanctus Paulus Spiritus sancti templum appellat *Honorabile in omnibus*. Sanctus est, & honorabile propter formam, & effectus. Quænam forma est? utriusque partis consensus, ac verba sacramentalia. Quinam effectu? alter quidam generalis, videlicet augmentum gratiæ sanctificantis; alter peculiaris, nempe infusio gratiarum actualium, quæ propriæ sunt statui ejus vitæ, quæ conjugali vinculo adstrictis ducenda est: *honorabile in omnibus*. Denique Conjugium sanctum est, & honorabile in fine, & propter eas, quas exigit, conditiones. A Deo institutum est, ut efformentur non vincula fragilia, libidine, incontinentia, fortunæ mutatione infringenda, sed fortia, & insolubilia, quæ una mors valeat perrumpere. Institutum fuit non fovendam, sed ad frænandam licentiam; non ad accendendam concupiscentiam, sed ad illius mala cohibenda, ad vagam libidinem auferendam, sanctamque societatem efficiendam, ubi ex duobus corporibus unum, & ex spiritibus duobus unus tantum spiritus fiat.

Quid sibi vellit S. Paulus his verbis nubere in Domino.

Nubat tantum in Domino 1. ad Corinth. 7. Christiano more nubere, a Sancto Paulo dicitur *nubere in Domino*, innuente, cum Christiani connubium ineunt opus esse, ut eorum nuptiis præsit Deus, ut illas ipse nectat, conjugum corda mutuæ dilectionis vinculo jungat, eosque suis gratiis, & benedictionibus repleat. Cum magnitudo, atque præstantia christiani conjugii sanctæ innitatur similitudini, quam habet cum admirabili affinitate, quæ inter Jesum Christum, & Ecclesiam adest, inde palam sequitur, eos, qui hunc amplectuntur statum, & simul magni hujus Sacramenti vinculo consociantur, intentionem suam debere conjungere cum intentione divini hujus sponsi, sponsæque fidelis, quæ est, augendi electorum numerum, gignendi Deo filios spirituales, qui sint bonorum ejus cum filio ipsius Unigenito hæredes, & qui eum in omnem laudent æternitatem.

Cur, & quomodo conjugium sit magnum Sacramentum in repræsentatione sua.

Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & Ecclesia. Ad Ephes. 5. Probandum non est, Jesu Christi cum Ecclesia conjugium magnum esse exemplar conjugii fidelium post hæc Apostoli verba id explicite affirmantis. Ambigi nequit, quo minus per illa dicere velit, quidquid admirabile in Jesu Christi cum Ecclesia conjugio invenitur, inveniri quoque in fidelium matrimonio, quod magnum ideo dicitur Sacramentum; videlicet magnum mysterium, quia magnum hoc, & ineffabile conjugium repræsentat. Hæc igitur etiam Apostoli verba mysterio non carent, & innuunt, Christianorum conjugium tribus in rebus esse admirabile in indissolubilitate sua, fidelitate, & fœcunditate, quæ tria in Jesu Christi cum Ecclesia conjugio admiramur. Innuunt etiam, ex tribus hisce qualitatibus Dominicæ unionis cum Ecclesia, tria gratiarum genera emanare, quæ eadem ipsa in conjugibus operantur, ita ut Christianum conjugium prorsus sanctum sit, & admirabile propter novæ insolubilitatis gratiam, propter gratiam perfectæ fidelitatis, & propter gratiam omnino miraculosæ fœcunditatis.

Quo insensu uxor sit corona viri sui.

Mulier diligens, corona est viro suo. Proverb. 12. Sapiens in proverbiis affirmat, solertem, ac diligentem conjugem, quæ virum suum diligit, esse veluti coronam illius. Et S. Chrysostomus addidit illius regnum esse, & imperium: *Cuilibet viro propria uxor regnum est*. Mox addit non contemnendam hanc animadversionem, rationem videlicet, propter quam permisit Deus ut Davidi proprium illius regnum tentaretur auferri, quia ipse pudicitiæ Bethsabeæ stuprum intulerat, atque Uriæ domesticum hoc imperium abstulerat, quod in conjugis suæ fidelitate possidebat. Disertissimus hic Doctor significat, quemadmodum reges gloriam, voluptatem, & felicitatem in regni sui possessione inveniunt, virum quoque hæc eadem bona ex conjugis suæ amore, ac fide posse percipere.

Quomodo & cur uxor data fuerit viro in adjutorium.

Faciamus ei adjutorium simile sibi. Genes. 2. Cum Deus in Genesi loquitur de uxore Adamo tradenda, loquitur tamquam de auxilio, quod huic hominum principi daturus erat: qua loquendi ratione significat præcipuam conjugis qualitatem esse, viro suo opem, auxiliumque ferre. Similis autem esse debet, ut melius hoc munere perfungatur, ac viro in duobus præsertim, vitæ scilicet necessitatibus, & salutis negotiis opituletur. Oportet, illam cooperari temporali ejusdem felicitati, sed præcipue aliquid spirituali ejusdem bono conferre, quod ad gratiæ, & prædestinationis ordinem spectat. Accidit tamen, quod prima illa mulier miserrime utrique huic muneri defuit ac per infidelitatem suam duos hujus conjugii fines prodidit. Tantum abfuit quod sanctificationi viri sui cooperaretur, ut illum fontem effecerit; tantum abfuit ut temporali ejusdem felicitati aliquid contulerit, ut eumdem ad summam inopiam redegerit; unde S. Gregorius Nazianzenus concludit, quod Adam *pro socia hostem habuit, & pro conjuge adversariam*.

Felicitas illius, qui bonam conjugem nactus est.

Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum. Proverbium 18. Quam verum est sapientis dictum; eum, qui bonam nactus est conjugem, magnum invenisse bonum, & bonum illud, quod simpliciter, & absolute hoc nomine potest appellari. Cur hoc? Quia inde omnia percipere potest bona ad vitæ felicitatem, ac beatitudinem necessaria. Desumitur ratio ex conjugali amore, quo illum complectitur, tunc præsertim cum animatur, & consecratur supernaturali charitate, & gratia Sacramenti; tunc enim fit tamquam universale prin-

cipium, unde haurit obligationes, causas, & media hæc omnia eidem officia præstandi.

Vigilantia, quæ adhibetur in mulieris; quæ in conjugem ducitur bonis dignoscendis, & negligentia, qua bonæ illius qualitates considerantur.

Immisit Dominus Deus soporem in Adam. Genes. 2. Sanctus Basilius Seleuciensis animadvertit, Deum, cum adduxisset Evam coram Adam, excitasse hunc ex mystico sopore, quo dum captus esset, ex latere ejus ipse mulierem eduxerat. Infundit simul in animam illius lumen admirabile, ut intelligeret, quænam illa esset, ac unde profecta; verbo, quænam essent bonæ qualitates, ac virtutes, quibus Deus illam ornaverat. At profecto, Pater hic ait, conjugia hoc sæculo nequaquam hoc pacto contrahuntur: *Multi dormientes conjugium contrahunt, pauci vigilantes*. Plerique adhuc sopore capti ducunt uxorem; non dormiunt illi quidem, ut ad examen revocent, ex qua familia sit, quam dotem sit habitura; immo e contra quam sedulæ conquisitiones, quot hac illac discursus, quæ vigilantia, quæ attentio, quod studium, cum nuptialis contractus chirographum scribendum est! sed clausos habent oculos, & dormiunt, ne videant malas qualitates, & vitia earum, quæ sibi in conjuges proponuntur. *In dote accipienda vigilant, in uxore consideranda dormiunt.*

Amor, & fides in conjugio veri non sunt, si conjuges sese mutuo magis diligunt quam Deum.

Si quis non odit patrem, & matrem, & uxorem. Luc. 14. Hæc æque magna veritas est, ac necessaria, & parum comperta. Evangelium velle videtur, ut vir uxorem, uxor virum oderit; quæ quidem barbara lex est non intelligentibus illam. At præcipit ne re ipsa Evangelium, ut vir uxorem oderit? Nequaquam: quandoquidem toties repetit Apostolus: *Viri diligite uxores vestras sicut & Christus Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea*. Itaque hoc viri odium in uxorem, & uxoris in virum non aliud est, nisi quod amor viri in uxorem, & uxoris in virum minor sit, quam utriusque amor in Deum. In hoc odium istud consistit, quod amor Dei princeps sit in conjugio, & omnem amorem excedat; vel juxta mentem Apostoli, in hoc quod vir uxorem habeat quasi non haberet, & similiter virum uxor; quod ad hoc tandem redit, quod uterque minus se mutuo diligant, quam ament Deum.

Conjuges, qui sese vicissim sanctificare deberent, sese vicissim in communem damnationem impellunt.

Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem: &c. 1. ad Corinth. 7. Hæc est Sancti Pauli doctrina Epistola prima ad Corinthios, virum infidelem per fidelem uxorem sanctificari, & contra infidelem uxorem per virum fidelem; hoc est juxta communem interpretationem, alterius virtutem, & sanctitatem conferre, ut alter sanctior, ac virtute præditus fiat, propter bonum exemplum, quod in frequenti consuetudine alter alteri præbet. Sed sæpius docet experientia, inter virum, & uxorem miseram fieri vitiorum, pravorumque amorum communicationem, & nisi gratiæ miraculum adsit, alterum ab altero vicisim in peccatum, mox vero in æternam damnationem præcipitem dari.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hoc in Argumento.

IN *nuptiis plus valet sanctitas sacramenti, quam fœcunditas uteri*. Augustinus, l. de bono conjugii, c. 28.

Multi facilius se abstinent ut non utantur nuptiis, quam temperanter, & bene utantur. Idem, ibidem.

In Conjugali vinculo, si pudicitia conservatur, damnatio non timetur. Idem de bono viduitatis, cap. 9.

Hoc custoditur in Christo & in Ecclesia, ut vivens cum vivente, in æternum nullo divortio separetur. August. l. 1. de nuptiis, c. 10.

Si ducturi estis uxores, quales vultis eas invenire, tales & ipse inveniant vos. Quis est qui non castam velit ducere? Idem, de verb. Domini.

Si paria sint cætera, continentem conjugato preferre quis ambigat? Idem, lib. 16. de Civit. cap. 36.

Si uxor amat maritum quia dives est, non est casta; maritum enim non amat, sed aurum mariti. Si enim maritum amat, & nudum & pauperem amat. Idem, Serm. 44. de verb. Domini.

Quod Dominus invitatus venit ad nuptias, etiam excepta mystica significatione, confirmare voluit quod ipse fecit. August. tract. 9. in Joan.

Non tibi placeant viri, quia divites, quia sublimes, quia genere nobiles, quia carne amabiles; sed quia fideles, quia religiosi, quia pudici, quia viri boni. Idem, l. de nupt. & concupisc.

Quomodo potest conjugium dici, ubi non est fidei concordia? Ambrof. Epist. 81.

Jure laudatur bona uxor, sed melius pia virgo præfertur. Idem, ibid.

Cur tu vultus pulchritudinem magis in conjuge, quam morum requiris? placeat uxor honestate magis quam pulchritudine, illa eligatur quæ moribus Saram referat. Idem, lib. 1. virginit.

Quia vero, nec domina, nec ancilla parabatur Adamo, sed socia, nec de capite, nec de pedibus, sed de latere erat producenda; ut juxta se ponendam cognosceret, quam de juxta se sumptam didicisset. Idem, Sacram. lib. 1. part. 6. c. 35.

Non tam pulchritudo mulieris, quam virtus ejus & gravitas delectat virum. Ambrof. l. 1. de Abraham, cap. 2.

Cum Sancto sanctus eris, & cum perverso perverteris. Si hoc in aliis, quanto magis in conjugio, ubi una caro, & unus spiritus est? Idem, ibidem, capite 9.

Disce quid in uxore quæratur, non aurum, non argentum quæsivit Abraham, non possessiones, sed gratiam bonæ indolis. Idem, ibid.

Sicut vir publicis officiis, ita mulier domesticis ministeriis habilior æstimatur. Idem, l. de Parad. cap. 11.

Adam per Evam deceptus est, non Eva per Adam; quem vocavit ad culpam mulier, justum est ut eum gubernatorem assumat, ne iterum fœminea facilitate labatur. Idem, l. 5. Hexam. c. 7.

Non ancillam sortitus es, sed uxorem; gubernatorem te Deus esse voluit sexus inferioris, non præpotentem; redde studio vicem, redde amori gratiam, Idem, ibidem.

Non tantum boni est in nuptiis quod speramus, quantum mali, quod accidere potest, & timendum est. Hieronymus, Epist. ad Geront.

Uxorem pauperem alere difficile est, divitem ferre, tormentum. Idem, contra Jovinian.

Simus honorabiles, & cubile immaculatum. Idem, Epist. 9.

Licet bonum sit conjugium, mala tamen sunt, quæ circa illud ex hujus mundi cura succrescunt. Gregor.

Magnum revera mysterium, & inæstimabilem quamdam sapientiam habens. Chrysostomus, Homil. 21. in Epist. ad Ephesios.

Quando concordia & pax, & vinculum dilectionis cum muliere & viro fuerit, omnia simul affluunt bona. Idem, Homil. 38. in Genesim.

Illæ veræ divitiæ sunt, illæ maximæ sunt facultates, si vir cum mulierem non discordet. Idem, ibid.

Nihil potentius muliere bona ad instruendum informandumque virum. Idem, Homil. 60. in Joannem.

Omni immunditiæ habenas laxat, qui nuptias damnat. Bernard.

Æstimare debet uxor mores viri esse legem & formam suæ vitæ impositam sibi a Deo. Aristotel. in Oeconomicis.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia depromi possit in hoc Argumento.

Quid sit Sacramentum matrimonii, ejusque definitio.

MAtrimonium ex communi Theologorum consensu ita definitur: Conjugalis conjunctio viri, & uxoris, legitime contracta; videlicet secundum leges, quæ utrumque cogit simul, ac inseparabiliter vivere.

Catechismus Trid. Concilii.

Ut hæc definitio bene intelligatur; notandum est, quod licet hæc omnia simul in vero conjugio inveniantur, partium consensus, qui interior est; pactum exterius, quod fit per verba, obligatio, & vinculum, quod vicissim contrahunt, & quod sequitur pactum, ac tandem conjugalis copula, qua matrimonium consummatur; nihilominus conjugium proprie, & essentialiter consistit in hac obligatione, & vinculo, quod conjunctionis nomine expressum est. Additur autem conjugalis, ut distinguatur ab aliis quibuscumque conventionibus, per quas homines, & mulieres sese mutuo obligare possunt, ut ultro citroque sibi ferant opem, seu per venditionem, aut emptionem, seu aliter, quæ omnes obligationes longe ab ea recedunt, quæ per matrimonium contrahitur.

Dicitur deinde, *conjunctio legitime contracta*, ad innuendum, personas eas, quæ per leges conjugium inire non possunt, illud nequaquam contrahere, & si contrahatur, nullum est; exempli gratia consanguinei in gradibus prohibitis, vel propter defectum ætatis, propter quem legibus nubere prohibentur, pares non sunt sese legitimi conjugii vinculis adstringendo! Denique novissima ea verba, *Quæ utrumque cogit simul & inseparabiliter vivere*, innuunt, vinculum, quo vir & uxor inseparabiliter conjunguntur suapte natura solvi non posse. Ex his omnibus sequitur, conju-

gium

gium proprie, & essentialiter consistere in hoc vinculo, & hac conjunctione; nam licet Theologi nonnulli illud in mutuo partium consensu statuere velle videantur, veluti cum inquiunt, conjugium non aliud esse quam consensum, quem vir, & mulier sibi mutuo præstat, hoc intelligendum est, quatenus iste consensus est causa conjugii, quemadmodum Florentinæ Synodi Patres docuerunt; re enim vera sine partium consensu nullum inter eas esse vinculum, nulla obligatio potest.

Divisio matrimonii in mere civile, & Sacramentum.

Animadvertendum est, conjugium duplici modo considerari posse, tamquam mere civile, & tamquam ad Sacramenti dignitatem evectum. Conjugium mere civile illud est, quod contrahitur exempli gratia inter Ethnicos, & infideles secundum patrias leges, & quod per leges easdem ratum fit, atque probatum. Sed cum Concionator apud fideles tantum sermonem habeat, necessarium non est, immo abs re est eum latius disserere de legibus, ac variis gentium moribus; neque refert, explicare quonam in sensu conjugium homini sit naturale, neque, utrum Sacramentum institutum fuisset, si homo in statu innocentiæ perseverasset; sed, his, aliisque id genus quæstionibus inutilibus prætermissis docere solum debet, matrimonium a Deo ipso fuisse institutum, & non esse humanæ politicæ inventum; licet ex ipsa natura initium ducere videatur, homini suadente ut hoc pacto suam speciem perennet. Hoc autem probatur per hæc Geneseos c. 2. verba. *Creavit Deus hominem ad imaginem suam .... masculum, & fœminam creavit eos; Benedixitque illis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini, & replete terram*: & per illa: *Non est bonum hominem esse solum; faciamus eis adjutorium simile sibi*; & cum addit: *Relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ; & erunt duo in carne una*. Quæ novissima verba secundum idem Jesu Christi testimonium illa apud S. Matthæum c. 19. referentis ostendunt, Deum perpetuum, ac insolubilem effecisse nodum matrimonii. Et S. Thomas 2. 2. q. 154. art. 2. ostendit, etiamsi inter solius naturæ terminos subsistere velimus, matrimonium non posse dissolvi: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*: Et Concilium Tridentinum sess. 24. declarat; Quamvis conjugium quatenus naturale dissolvi minime possit propter filium educationem, aliaque munera conjugio inhærentia, sine hæc insolubilitate subsistere nequeant; hoc illi convenit tamen peculiariter, quatenus ad Sacramenti dignitatem evectum est.

Deus hominibus nullam conjugii necessitatem imposuit.

Animadvertendum quoque est, per ea Genesis verba, quæ dixit Deus Adam, *crescite, & multiplicamini* nequaquam impositam fuisse omnibus hominibus conjugii necessitatem, sed tantum demonstratum fuisse finem, propter quem matrimonium fuerat institutum; nunc enim cum homines satis, superque fuerint multiplicati, non solum nulla tenentur lege uxorem ducere; verum etiam virginitas in Scripturis commendatur, atque suadetur, tamquam status præ conjugio multo sublimior, sanctior, atque perfectior. Hoc nos docet Salvator, ubi de illis locutus, qui virginitatis statum amplectuntur, addit: *Qui potest capere, capiat*. Matth. 19.

Non defuerunt hæretici, qui conjugium damnarent licet sancta sit ejusdem institutio.

Quamvis sanctissima sit conjugii institutio, & in ipsis etiam mundi primordiis nihil reliquum fecerit Deus, ut illud etiam, atque etiam commendaret, quippe qui illud instituit non post peccatum, sed in ipso statu innocentiæ, ut intelligeretur, ejusdem finis longe præstantior esse, quam voluptatis inquirendæ. Quamvis demum ex eo tempore illud sua benedictionem cumulaverit tamquam sensibile signum approbationis suæ; hoc tamen cohibere non potuit Marcionitarum, Encratitarum, Manichæorum, aliorumque plurimorum hæreticorum blasphemias, qui in Sacramentum hoc eo usque exarserunt, ut illud diabolicum inventum, actionem prophanam, prostitutionem, scandalumque vocarent. Contra hos errores insurrexerunt Sancti Patres, ac præsertim SS. Augustinus, & Hieronymus, qui eos refutarunt.

Conjugii status pluribus modis sanctus est.

Ambigi nequit de hujus status sanctitate, quandoquidem ab ipso Deo in ipsis mundi incunabulis institutus, & sanctificatus fuit, & mox ad Sacramenti dignitatem a Dei Filio evectus, ut sanctificarentur ii, qui eumdem vellent amplecti, utque necessariis cumularentur gratiis, quibus adjuti omnibus ejusdem muneribus rite perfungerentur. Itaque status hic omnibus modis sanctus est; propter auctorem suum, qui Deus est, propter adnexam Sacramenti dignitatem, propter sanctificantem gratiam, quæ in illum recipientibus augetur; propter gratias, & subsidia, quæ in ipsorum necessitatibus tradit, ac tandem propter excellentem significationem unionis Jesu Christi cum Ecclesia ejus sponsa, quod efficit, ut a S. Paulo magnum Sacramentum dicatur.

Finis quem sibi proposuit Deus conjugium instituens.

Quamquam Deus in ipsis mundi primordiis constituerit inter virum & mulierem conjugium, tamquam amoris, & societatis vinculum pro humani generis multiplicatione, & post peccatum tamquam remedium concupiscentiæ, & incontinentiæ, quæ cum mala sit, atque in vitium tendat, hoc pacto intra juctos limites continetur, ac fit honesta per filiorum generationem. Attamen si bene exploremus consilium, quod ab æternitate conceperat, in hac institutione spectabat affinitatem, & unionem, quam aliquando facturus erat Jesu Christi filii sui cum Ecclesia, cujus signum, ac figura fuit in antecessum corporale hoc matrimonium. Quamvis autem duobus hisce conjugiis hoc sit commune, quod utrique finis est filiorum generatio: hoc tamen discriminis intercedit, quod ex matrimonio Adam, & Evæ, qui post peccatum dumtaxat convenerunt, nati sunt filii carnales; sed ex Jesu Christi, & Ecclesiæ conjugio, spirituales filii erant nascituri. Ex priori nati sunt filii hominum, ex altero regenerantur Filii Dei. Duo parentes, Sanctus Augustinus ait, nos genuerunt ad mortem, & duos nos genuerunt ad vitam. Qui ad mortem nos genuerunt sunt Adam, & Eva; qui vero ad vitam Jesus Christus, & Ecclesia.

Deus naturalem habet, & supernaturalem providentiam in hominum conjugiis.

Præterea Deus in conjugii institutione ingentes sibi fines proposuit, ex quibus patet, ipsum duplicem erga homines habere providentiam. Horum autem finium alter quidem fuit homines successive in terris servandi, alter vero cœlum replendi. Prior, qui ad naturalem tantummodo providentiam pertinet, alteri subordinatus est, qui supernaturalem respicit providentiam; at neuter commode potest habere effectum suum sine conjugio; cum enim homines immortales non sint: mors quantocyus mundum fuisset depopulata, nisi Deus morientibus alios homines substituisset; cumque ab hominibus replendæ in cœlo sint rebellium Angelorum sedes; per conjugium nascuntur in terra, aliquando cœlum repleturi.

Conjugium unus est ex iis vitæ statibus, quos Deus in mundo voluit instituere.

Deus varios in mundo statu institui, & quemadmodum in natura entium varietas, & commixtio illius pulchritudinem faciunt, ita in Christianismo varia vitæ genera, ad quæ alii vocantur, efficiunt gloriam corporis mystici Jesu Christi, videlicet Ecclesiæ: alii quidem claustris, alii cœlibatui, alii conjugio destinati sunt, & hæc jucunda varietas, inquit Apostolus Paulus, augusti hujus corporis componit ædificium, atque inter omnes illius partes præclarum hunc ordinem statuit. In hac statuum diversitate, diversæ sunt gratiæ; & Deus præter generalia officia ex illis peculiaria quædam exposuit. In Ecclesiastico spiritum pietatis requiritur, in magistratu spiritum justitiæ, & fortitudinis, sed in conjugali vinculo adstrictis spiritum amoris, atque concordiæ.

Fines, propter quos conjugium institutum est.

Fines, propter quos christiana conjugia instituta fuere, duo peculialiter sunt, qui ob animos eorum versari debent, qui statum hunc amplectuntur. Alter est gignendi Filios Deo juxta sanctissimam illam Tobiæ sententiam: Nosti, Domine, quod conjugalem statum ingredior, non ut meam expleam libidinem, sed ut posteros habeam, qui te laudent, tibique in æternum benedicant. Alter conjugii finis est concupiscentiam cohibere, cum perfectæ continentiæ servandæ non satis pares nosmet experimur; juxta sapiens illud Apostoli 1. Cor. 7. consilium: *Melius est nubere, quam uri*. Melius est inire conjugium, quam cupiditatis suæ flamma succendi. Hinc oritur parentum obligatio filios quam primum in matrimonium collocandi, nisi Deus ad perfectiorem statum illos evocet; ut hoc pacto ab effusiori libidine, aliisque flagitiis, in quæ prona fertur juventus, illos avertat.

Conjugii finis varius fuit pro temporum varietate.

Connubii finis non idem semper fuit temporibus omnibus, ac in omnibus statibus. Deus illud ab initio instituit pro humani generis propagatione, quod hoc pacto voluit multiplicari; atque tunc necessarium fuit, licet inter consanguineos, ut terra quam primum habitatoribus repleretur; Deinde cum Deus revelasset, ac promisisset Abrahæ filium suum de illius sobole, ac progenie nasciturum, fœcunditas in electo eo populo tanto in honore habeatur; ut conjugalis status ipsi præferretur virginitati; ac inter nuptas opprobrii loco sterilitatis haberetur; & quoniam unusquisque hanc fovebat spem, futurum ut Christus ex familia sua posset oriri, non mediocrem se assecutum benedictionem arbitrabatur, qui plures libros suscepisset. Sed cum hic finis per Filii Dei incarnationem desierit, mutatis rebus, ex quo nec de terrarum orbe incolis replendo, neque de Christo in lucem edendo agitur, qui conjugalem statum ingrediuntur, illum cogitare

debent

debent tamquam ad ordinem superiorem erectum; videlicet ad Sacramenti dignitatem, ut significet non solum Jesu Christi unionem cum Ecclesia quod ab ipsis mundi incunabulis repræsentavit, verum etiam ut sit fons gratiarum, & spiritualium benedictionum; ideoque illud respicere debant tamquam statum sanctum, quem sancte ingredi debent.

Cur Apostolus conjugum vocet magnum Sacramentum.

Magnum est, si conferatur cum veterum Patriarcharum conjugio, qui in figura tantum habebant, quod nobis re ipsa est. Magnum est, si conferatur cum conjugio status innocentiæ, ubi non aliud erat, quam civilis contractus; prærogativæ, quæ huic tribuuntur, non tam procedebat ex contractus hujus natura, qui Sacramentum non erat, quam ex originali justitia, quæ generalem in omnes actiones Adæ benedictionem effundebat. Magnum est, quatenus est Sacramentum; gratia enim, quam confert, nequaquam intra exiguum effectorum numerum continetur, uti effectus Confirmationis, Ordinis, Extremæ Unctionis, sed ad omnes extenditur curas, quas genere debent pater, materque familias. Effectum suum nequaquam uno, eodemque ictu facit, sed æque diu operatur ac conjuges vitam producunt. Itaque hoc magni nomen nequaquam tribuitur Sacramentis omnibus indiscriminatim; etenim ex septem, quatuor dumtaxat, iisque ob longe varias rationes appingitur. Magnus dicitur Baptismus, propter nobilem effectum, quem in recentis Christiani anima gignit: Confirmationis Sacramentum magnum dictum fuit propter dignitatem ministri, qui Episcopus esse debet, magnum quoque vocatur Eucharistiæ Sacramentum propter id, quod in eo continetur, verum videlicet Corpus, ac verus Sanguis Jesu Christi; denique Sacramentum Matrimonii hoc magni nomine celebratur, quia significat, ac repræsentat, tres easque magnas, & illustres Dei cum hominibus affinitates; quorum prior fit per gratiam, qua Deus animas nostras sibi sponsas adjungit; altera quæ fit per amorem, & unionem inter Jesum Christum & Ecclesiam; ac tertia, quæ fit per hypostaticam Divini Verbi cum humanitate nostra in persona Dei Hominis unionem.

Deus gratias tribuit conjugibus ad fidem, atque concordiam servandam.

Fides in matrimonio prima est obligatio, ac primum eorum officium, qui hunc statum amplexi sunt, eaque inviolabilis esse debet, quia imago est fidei, quam Deus semper integram, inviolatamque servavit Ecclesiæ; eaque debet religiosus observari, quis in conjugio Deus tribuit gratiam ad eam servandam, non secus ac ad fovendam unionem, quæ illos simul vivere cogit atque invicem numquam separari permittit. Hæc enim fundamentalis est veritas, Sacramenta omnia præter sanctificantem gratiam, qui effectus est omnibus communis, peculiaria etiam nobis subsidia conferre, ut feliciter ad eum perveniamus finem, propter quem sunt instituta. Quemadmodum Baptismus per gratiæ infusionem non solum delet peccata; verum etiam nobis aperit sortem luminum, sanctarumque inspirationum; quæ nobis necessariæ sunt, ut vitam ducamus Christiani nominis dignitati conformem: ita cum conjugii onera magna sint, credendum est, præter habitualem gratiam, quam confert, adesse quoque actualium sortem auxiliorum ad fideliter officia hujus status explenda, ad conjugalem fidem adeo solemniter promissam servandam, & fovendam unionem, quæ omnino est necessaria, ut alter alterius defectus æquo animo ferat.

De mutuo conjugum dilectione.

Philosophus lib. 8. Ech. c. 3. nullam novit amicitiam magis legitimam, quam viri erga uxorem suam; reliqua huic longe concedere affirmat. Verum est, si rem serio consideremus, conjugalem amorem habendum esse tamquam primam naturalium amicitiam regulam; quia par est amori sui ipsius, quemadmodum testatur Apostolus ad Ephes. 5. *Qui uxorem suam diligit, se ipsum diligit*, unde S. Thomas concludit, virum non posse odio habere uxorem suam, neque e contra, quin ejusdem speciei peccatum admittat, cujus esset odium sui ipsius, quod post Dei odium, præ cæteris maxime detestabile est, ac desperatorum tantummodo proprium.

Conjuges semul cohabitare tenentur.

Satis est animum advertere ad conjugii fines, ut fateatis, uxorem a viro, virum ab uxore seorsim vivere non posse. Conjugium institutum est, ut legitimi gignantur filii, ac prædestinatorum numerus replearur; ut concordi penitusque conflato agatur consensu cum in iis, quæ ad filiorum pertinent institutionem, tum in iis, quæ familiam respiciunt; quibus curis vir unus satis esse non potest; ut viro adjutorium simile sibi detur, cui rerum domesticarum partem committat; ut detur mulieri præsidium, quo imbecillitas ejus fulciatur; quarum rerum omnium quænam locum habere potest in divortio? quod sibi in necessitatibus præbunt auxilium? ad quid hæc proderit cognatio? &c. Et sane tanta est hæc obligatio, ut quamvis religio status sit conjugio præferendus, quia majori est merito, non liceat tamen viro, uxore invita, vel mulieri, invito conjuge statum illum amplecti. Hæc janua omnibus Christianismi conditionibus patet, exceptis conjugibus.

Matrimonium verus est Sacramentum.

Credidit semper Ecclesia tamquam certissimum, ac in dubium minime revocandam veritatem, conjugium esse Sacramentum, idque illa credidit innixa auctoritati Apostoli dicentis: *Sacramentum hoc magnum est, in Christo, dico, & Ecclesia*. Ad hæc Tridentinum Concilium sess. 14. declarat gratiam per hoc Sacramentum significari, & communicari, in quo præsertim Sacramenti essentia consistit. Jesus Christus, inquit Concilium, qui Sacramentorum auctor est, & consummator, nobis per passionem eam gratiam promeruit, quæ naturalem viri, & uxoris amorem perficere posset, atque roborare indissolubilem unionem, quæ est inter illos.

Veritates, quibus animum debent advertere qui matrimonio junguntur.

Qui ut Christiani, non autem Ethnici, conjugium inire volunt, Jesu Christi opem debent implorare, & nihil aggredi sine motu gratiæ ejus, atque ad obtinendas omnes benedictiones eo in statu, ubi salutem consequantur, intelligent connubium esse figuram adorabilis unionis æterni Verbi cum humana natura, & Jesu Christi cum Ecclesia, atque conjugali vinculo adstrictos tanto se se ultro citroque amore debere complecti, quanto Jesus Christus suam sponsam prosequitur. Considerare debent matrimonium fœtus esse sacrum, quod eo potius spectat, ut cœlo magis, quam terræ filii procreentur, & sanctam esse societatem, quæ ideo corpora conjungit, ut nodo magis sacro corda conjungat; videlicet vere christiana dilectione: sed præsertim cogitare debent, paucissimos recipere, ut oportet, gratiam hujus Sacramenti, ejusque servandæ minorem adhuc habere curam; unde tot existunt turbæ, ac tam frequens inter conjuges discordia, nec tot mala, & sæpe etiam parentum æque ac filiorum damnatio.

De hujus Sacramenti gratia.

Maxime refert considerare matrimonii naturam, quod contrahentibus vincula injicit nonnisi alterutrius morte infringenda; ita ut quemadmodum hoc Sacramentum iterari non potest, donec qui eodem conjuncti sunt, in hoc mundo vivunt; ita gratia perpetuo huic statui inhærens, si recepta non fuerit vel semel fuerit amissa, nonnisi post diuturnam sanctamque pœnitentiam possit reparari. Communes pœnitentiæ fere numquam illud reparant scelus, quod patratum est contra Evangelii præcepta nubendo; præsertim vero cum personæ prediti virtute non sunt, & christianæ societatis gratiam non habent; sed conjuges semper vincti permanent personæ illi, quam in sua cæcitate elegerunt; ac nihil illos dispensare potest coram Deo ab iis difficultatibus, & impedimentis, in quæ se ipsos dedere præcipites; æternæ quippe legis est, quod quilibet status sui, & illius, quem susceptuus est, noscat officia.

Matrimonium est novæ legis Sacramentum a J. C. institutum.

Sacramentum hoc a Jesu Christo institutum est, non solum quod cum re vera non fuerit primus unionis conjugalis auctor, novam quodammodo illi præbuit institutionem illud in lege sua approbans, atque ad primum, a quo exciderat, revocans institutum; verum etiam quod unum esse voluit ex septem Evangelicæ legis Sacramentis, & quod illi nos secus ac alii, suam gratiam addidit, quemadmodum Patres docent, & Concilia, Tridentinum vero præsertim.

De matrimonii fine, & institutione.

Verum est, matrimonium in prima institutione, quæ in statu innocentiæ facta fuit, non aliud habuisse finem, quam humanæ speciei multiplicationem; sed post peccatum, affectuumque perturbationem, voluit Deus illud esse concupiscentiæ remedium; & quemadmodum remedium hoc nimis fuisset infirmum contra mali ejus magnitudinem, illi Sacramenti novæ legis gratiam Jesus Christus adjecit. Verum humiliter sane de hoc Sacramento sentiret, qui crederet ideo fuisse institutum, ut inordinati affectus unice esset remedium; illud tamquam infidelis, non autem Christianus consideraret, qui illud esse putaret veluti rationem quamdam suam explendi cupiditatem, non autem veluti mysterium, cui Deus suam addidit gratiam, ut in iis, qui sanctius conjugium inirent, fœcundum amorem exprimeret, quo Jesus Christus suam dilexit Ecclesiam. Constat quippe, quemadmodum fidelium conjugium repræsentat Jesu Christi unionem cum Ecclesia; ita opus esset, ut eorum amor illi sese conformet dilectioni, qua Salvator suam sponsam prosequutus est; quæ est Sancti Pauli sententia ad Ephesios scribentis: *Viri diligite uxores vestras; sicut & Christus Ecclesiam*. Verum quomodonam Salvator Ecclesiam dilexit? Hoc discimus ex eodem Apostolo, ubi ait, ideo illam amasse, ut eam sanctificaret, & coram Patre suo mundam, sine labe, & macula efficeret. Ita ergo viris diligendæ sunt uxores, & uxoribus viri; ut ultro, citroque se ipsos sanctificent sese intra pudici amoris terminos continentes.

PARAGRAPHUS VI.

Loci delecti ex Ascetici, ac recentibus Concionatoribus hujus Argumenti.

Conjugii utilitas, & necessitas ad Mundi conservationem.

Conjugium vocari potest hominum seminarium, unde quotidie novæ existunt plantæ, quæ in earum locum substituantur, quæ longa annorum serie effætæ sunt. Hæc mystica est Metempsycosis, sed longe gloriosior, hominibusque utilior ea, quam Philosophi quidam commenti sunt, qui homines ex brutis, & ex hominibus bruta renasci docebant. Conjugium efficit, ut homines quodammodo sint immortales; ut pater mortem subeat, quin moriatur, quia renascitur in filio, ac posteris suis: hic vitæ fons est, semper fluens, & qui numquam exhauritur. Mors gurges est, quo homines omnes contendunt, non secus ac in mare fluvii; sed quia fons hic non exhauritur pro singulis, qui moriuntur, plures sæpe renascuntur. Profecto sine conjugio, mors, quæ nemini parcit, non multo indigeret tempore, ut urbes omnes, atque provincias deleret; nulla enim re vi illius resistere, unius sæculi, vel minus etiam sufficeret intervallum ad hoc, ut omnes homines esserentur. At Deus, qui non patitur opus fuum perire, antequam electorum numerus repleatur, connubii patronum seipsum constituit, quemadmodum primus fuit ejusdem institutor; eadem cura, qua mundum tuetur, efficit, ut alteram hanc ille susciptat affinitatum, quæ contrahuntur, & quæ unica est mundi servandi ratio. Hæc est causa propter quam mundus quotidie magis incolis repletur, urbes frequentiores fiunt, & regna florentiora. Ulsusne, amabo vos, inveniri poterat efficacior modus magni hujus operis tuendi; & conversandi? Moris tela cadunt, at nihil proficiunt, quia conjurii fœcunditas omnia illius vulnera eludit; & hoc pacto adimplebitur magnum Dei consilium, qui cœlum replere desiderat. Magnum Dei voco consilium; quia finis est cæterorum, & cætera huc tamquam lineæ tendunt in centrum. Magnus hic finis obtineri non poterat sine conjugio eo in ordine, quem Deus ipse constituit; ideoque ab ipsis mundi primordiis conjugii ejusdem auctor esse voluit, & institutor. *Familia Sancta Patris Cordier Tomo tertio cap. 19.*

Sine conjugii institutione nihil in terris esse nisi confusio.

Quidnam, amabo vos, mundus fuisset, si a Deo ibi posita sexuum varietate, conjugii leges positæ non fuissent? Nisi ita disposuisset, ut vir suam uxorem, & uxor suum virum haberet? Nisi illos vicissim indissolubili vinculo alligasset? Fingine potest magis horribilis corruptio, magisque detestabilis confusio? Si viro licuisset uxorem, & uxori mutare virum, simulac alteruter fastidio fuisset affectus. quid fieret? quid de liberis esset? quænam esset in familiis dissensio? Quot ultiones, quot cædes, quot orirentur parricidia? Sed quænam abominatio, si nullum inter se præter voluntatis vinculum viri, & mulieres haberent! Quemadmodum non alius illis fuisset Deus; nisi fuus unicuique affectus; nulla illis religio, pietas nulla; omnia ibi polluta fuissent, & homines, quippe qui majori pollent industria, quam bruta animantia, ut suis satisfaciant cupiditatibus in turpissima quælibet scelera irruissent. Tot extitissent adversarii, quot homines in terris, in id semper intenti ut alterum proderet, dummodo insanam explerent libidinem, semperque parati ensibus distringendis, diluendisque venenis, ut de medio competitores auferrent. Quamobrem Deus adeo abominabilem confusionem prævidens prorsus divina sapientia, atque providentia censuit in terris ante omnia conjugium instituendum esse, quod totius recti ordinis servandi esset fundamentum; videbat enim ubi hoc semel constitutum esset, cætera levi labore posse constitui. Itaque inde initium sumpsit; postquam hominem, mulieremque creaverat, ut illis amorem inspiraret; quo vicissim se complecti debebant, voluit, mulierem esse hominis partem, ut vir uxorem tamquam suiipsius partem diligeret, & uxor erga virum eadem foveret studia, quæ pars habere debet ad totum suum. *Idem.*

Deus primum instituens inter Adam & Evam conjugium, illis simultaneum omnium conjugiorum leges declaravit.

Statim ac mulier educta fuit ex primi hominis latere, Deus utrumque simul in matrimonium conjunxit, ac obtulit Evam Adæ, ut hoc efficeret conjugium, & ore proprio utique conjugales leges, & officia declararet. Significavit illis, eorum amicitiam esse debere primam, atque solidissimam, quæ in terris esset umquam futura, & ex illa tamquam ex fonte rivulos, amicitias reliquas originem habere debere; & quamquam parentum erga filios amor maximus futurus esset, nihilominus amorem inter virum, & uxorem primum obtinere locum debere, tamquam primigenium, & sacrum, qui citra aliquam sacrilegii speciem violari non potest. Addidit, quandoquidem ipse utrumque eodem spiritu repleverat, velle eiam, ut eamdem haberent carnem, omnia negotia communia. Ad hæc antequam etiam ullum conjugii sui fructum vidissent, Deus illis patrium amorem, omnesque inspiraverat qualitates, quæ ad bonam sanctamque filiorum educationem sunt necessariæ. Quemadmodum vero non solum erant futuri totius posteritatis parentes, verum etiam magistri, atque doctores, mentem eorum iis replevit cognitionibus, quæ ipsis ad familiam regundam auxilio esse poterant, non solum ut illi eas probe tenerent, verum etiam ut easdem aliis tradere possent. *Idem.*

Antequam ineatur conjugium Deus est consultendus.

Haud injuria vulgo dicitur tamquam veritas omnibus recepta sæculis. bona, & felicia conjugia in terris quidem contrahi, atque adimpleri, sed in cœlis disponi; etenim quemadmodum unus Deus non perfecte cognoscit, ita ille unus potest parem nobis jungere conjugem, quicum pacem servare, tranquillaque vita frui possimus, & facilius salutem nostram operari. Idcirco illi qui adhuc liberi sunt, ac per ætatem conjugio pares, monendi sunt, ne quid inconsulto Domino hac in re aggredi audeant; in hac enim potissimum ab eo pendere debemus, ejusque voluntatem desideriorum nostrorum normam efficere. Cum in Christiana Religione duo status sint, alter quidem continentiæ, alter conjugii, si alteruter a nobis cum utilitate eligendus est, nihil conari opus est inexplorata numinis voluntate, nihilque aggredi, nisi prius ejus lumina imploraverimus. Si arbitramur, filium officio suo deesse, dum inconsulto patre uxorem ducere meditatur; & si pater hanc ob rem adeo exardescit, ut illum exhæredet, omnemque successionis in bona sua spem illi auferat; credine potest, Deus, qui tantum hominibus confert honorem, ut eos filios vocare non dedignetur, non succensurus, si in tanti momenti negotio quid aggrediaris, antequam ejus voluntatem exquiras? Meritone cogitari potest post adeo explicitum divinæ bonitatis contemptum, illum nequaquam ablaturum gratias suas, suasque benedictiones minime denegaturum? Vis conjugii statum amplecti? at quis tibi vires præbebit ad omnes illius curas sustinendas, & onera ferenda, nisi te Deus in hoc statu esse jusserit? *Idem tomo primo.*

A Dei manu sibi expectanda uxor est, quæ tibi utilis futura sit.

Cum Dei afflatu, vel ministrorum ejus consilio, aut eorum, qui in te aliquam obtinet auctoritatem, consilium inieris ducendi uxorem, a Deo præholare conjugem, quæ tibi utilis futura sit: videlicet, crede, Providentiam hanc, qua reguntur omnia, oblaturam tibi personam eam, quæ a te sit eligenda. Hos nos admonet Sapiens, cum afferit Prov. 19. bonam, prudentemque uxorem Dei minus esse, ac unice a Deo proficisci; *Domus, & divitiæ dantur a parentibus, a Domino autem proprie uxor prudens*. Cum prædestinationis quædam causa sit, cohabitare cum ea, quæ nobis, quod bonum est suadeat, nosque ad illud inducat, credendum est, hanc eamdem Providentiam, quæ super electos vigilat, ita quæcumque ad eos spectant disponere, ut tandem ad eum perveniant finem, cui illos destinat per vias, quas ipse illis aperuit, & per quas illos deduxit. *Idem.*

Conjugii elogium, & quo in pretio habendum.

Conjugium primum est vitæ communis vinculum; fundamentum, primum totius humani commercii præsidium, cognationum omnium principium. Hoc familias efficit; familiæ civitates, civitates regna. Omnes homines illud intueri debent veluti petram, unde excisi sunt. *Attendite ad petram, unde excisi estis. Isaia 51.* Contractus est eadem cum orbe terrarum jactans primordia, neque alium præter Deum habens auctorem. Gnostici hæreticorum omnium turpissimi, illud tamquam malum, ac detestabile, rejecerunt; sed cum in Genesi videamus Deum conjugii institutorem, & in Evangelio Jesum Christum nuptiali convivio interesse non dedignantem; detestari debemus infames hæreticos, a quibus improbatur. Neque enim propter castitatis honorem, ac reverentiam ita loquebantur, sed propter libidinosissimam licentiam, quæ tot illis permittebat uxores, quot possent abuti. Quod si suadet Apostolus, ut continentia servetur, non ideo tamen improbat conjugium, quod nonnisi ab illis damnari potest, qui de divinis operibus sentiunt injuste; verum docet, neminem ad conjugalem statum teneri, cumque non sine merito relinqui posse, ut status perfectior eligatur. *Idem.*

008674